

offendat aurem vox fortior. Denique in ipso canendi genere, prima disciplina verecundia est: immo etiam in omni usu loquendi; ut sensim quis aut psallere, aut canere, aut postremo loqui incipiat, ut verecunda principia commendent processum. Silentium quoque ipsum, in quo est reliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiae est. Denique si aut infantiae putatur, aut superbiae, probro datur: si verecundiae, laudi ducitur. Tacebat in periculis Susanna, et gravius verecundiae, quam vitae damnum esse putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem. Deo soli loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui: refugiebat ora intueri virorum. Est enim et in oculis verecundia, ut nec videre viros foemina, nec videri velit. Neque vero quisquam solius hanc laudem castitatis putet. Est enim verecundia pudicitiae comes, cujus societate castitas ipsa tutior est. Bonus enim regendae castitatis pudor est comes: qui si se praetendat ad ea, quae prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinat. Hic primus in ipso cognitionis ingressu, Domini matrem commendat legentibus, et tanquam testis locuples, dignam quae ad tale munus eligeretur, astruit: quod in cubiculo, quod sola, quod salutata ab angelo tacet, et mota est introitu ejus, quod ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus virginis. Itaque quamvis esset humilis, prae verecundia tamen non resalutavit, nec ullum responsum retulit, nisi ubi de suscipienda Domini generatione cognovit: ut qualitatem effectus disceret, non ut sermonem referret. In ipsa quoque oratione nostra multum verecundia placet, multum conciliat gratiae apud Deum nostrum. Nonne haec praetulit publicanum, et commendavit eum, qui nec oculos suos audebat ad coelum levare? Ideo justificatur magis Domini judicio, quam ille pharisaeus, quem deformavit praesumptio. Ideoque oremus in incorruptione quieti et modesti spiritus, qui est ante Deum locuples, ut ait Petrus. Magna igitur modestia, quae cum sit etiam sui juris remissior,